



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. XIV. De Destructione Plurium Castrorum & subjugatione  
Pomesanorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Hermannus de Salza IV. Magister Generalis Ord. Teutonici.  
Hermannus de Balke I. Magister Provincialis in Prussia.*

illis demandavit hoc modo tanquam sapiens & expertus humiliter revocans tanquam erroneum, visionem quam viderat, omnibus publicavit, qui frater in Dei servitio perseverans non longe postea ab Infidelibus est occisus.

## ANIMADVERSIONES.

- (a) Jeroschinus & Autor Chronici Ordinis referunt hoc ad An. 1234.  
(b) Vid. Henneb. in *Comment. ad Tab. Prussiae Geogr. p. 394.*  
(c) Id est Collegium Fratrum Ordinis Teutonici. Capitulum vox est barbara.

## CAP. XIII.

De

*Adventu Marchionis Misnensis.*

**H**oc tempore Nobilis & illustris ille DEO devotus Princeps (a) Henricus Marchio Misnensis cum quingentis Viris Nobilibus & in armis expeditis multoque divitiarum apparatu venit ad terram Prussiae. Hujus Viri animus & totus conatus ad destructionem infidelium & ad Christianorum terminos dilatandos fuerat inclinatus.

## ANIMADVERSIO.

- (a) Hujus Henrici filius Theodoricus itidem expeditionem in Prussiae suscepit An. 1272. de qua infra cap. 128.

## CAP. XIV.

De

*Destructione Plurium Castrorum & subjugatione Pomesanorum.*

*Hermannus de Saltza IV. Magister Gen. Ord. Teutonici.*

*Hermannus de Balke I. Mag. in Prussia Provincialis.*

IN terra Pomesaniae fuit quoddam territorium dictum Rey-  
sen, in quo Viri famosi & bellatores strenui morabantur, quos  
dictus Princeps mittens manum ad ara- *Anno Dn. MCCXXXV.*  
trum & non respiciens retrò viriliter est *Canonizata fuit B. E-*  
aggressus rapinà & incendio & multâ san- *liesabeth à Gregorio*  
gvinis infidelium effusione sapius deva- *Papa IX. Perusii in*  
stando castrum ipsorum situm circa flu- *conventu fratrum*  
vium (a) Mokeram & omnia propugna- *Prædicatorum, ubi*  
cula quæ habebant in illo loco, qui dicitur *idem Pontifex altare*  
Stumo circa Postelin, circa Risenburg & *in honorem ipsius de-*  
*dicavit.*

Rysenkirchen, circa stagnum Drufne & Wildenberg, occisis &  
captis infidelibus potenter expugnavit & in cinerem redigendo  
terræ alteri coæqvavit. Sed quam potenter quamque Viriliter  
præfatus Marchio tanquam Leo, qui ad nullius pavet occursum,  
dictas gentes impugnavit, nemo posset tam Verbis quam cala-  
mo, singulariter explicare. Tamque infestus fuit eis in bello,  
quod se fidei & fratribus subdiderunt. Et secundum (b) pacta  
& libertates, quæ ipsis tunc dabantur, alii Neophyti (c) postea re-  
gebantur.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. XIV.

- (a) Mokeram Hennebergerus putat esse partem Ossa. Est etiam Mo-  
kera fluviolus, qui Thorunii Veterem Civitatem à Nova dividit,  
à quo pagus ad dictam urbem situs vocatur die Mocker.
- (b) Pacta cum Prussis Veteribus Anno 1249. inita aut renovata dabimus  
sub calcem hujus Chronici.
- (c) Avo anteriori ex incitia scribebatur Neophyti, ut Goldasti *Rev. A-*  
*lem. Tom. I. part. I. in Cap. XI. restatur.* Sed hoc ego, ratione lite-  
ræ t., non tam incitiæ scriptorum illius ævi, quam non satis  
accuratæ literarum in scribendo distinctioni adscripserim. Illis  
enim temporibus literæ t. & c. eodem modo scribebantur. Hinc

N

in nostro etiam Dusburgio varia illa lectiones Scumandus, Scumo & Stumo, Naetangi & Nattangi & alia plurima.

## CAP. XV.

De

*Quibusdam Navibus Bellicis & recessu Marchionis.*

Sapiens semper sapienter agit & multis periculis præcavet in futurum. Unde idem Dominus Marchio tanquam Vir providus & prudens mandavit sibi parari duas naves bellicas quarum minor dicebatur Pilgeram, major Friedland vocabatur, quod sonat in latino (a) peregrinè, pacifica terra. Et verè nomen habebat à re. Fecerunt enim multa bona pacis fidelibus terræ Pruschia. Per dictas naves duo castra Elbingus & Balga ædificata fuerunt & (b) recens mare purgatum fuit ab insultu infidelium, quod in eo nullus audebat de cætero comparere. Hæ naves post multos annos in stagnum (c) Drusne sunt submersæ. Completo itaque peregrinationis suæ voto, idem Princeps relinquens in Prussia multam militiam pro ædificatione castri de Elbingo ad propria est reversus.

## ANIMADVERSIONES.

AD CAP. XV.

- (a) Regiomontanum Exemplar habet: *peregrinam Pacificam terram.* Elbingense *peregrinè pacifica terra*, sed si antecedentia respiciamus, apparebit, legendum esse: *peregrini & pacifica terra*; sive *peregrinos & pacificam terram*, videlicet altera navium dicebatur *Peregrini* sive *Pilgerin*: altera *pacifica terra* sive *Friedland*.
- (b) Lacus recens, dictus *das frische Haß*.
- (c) Lacus, Drausen dictus, non procul ab urbe Elbinga, Vid. notas in cap. XVI.

CAP.